SIXTUS PP IIII

Morbio 23 (62)

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle

Dilecte fili Salut et aplicam bn. Vidimus que his nris responderis de classe sustentanda, et rationes impotentie tue ad onus perferendum alendi exercitus simul, et iuvande classis in medium adductas: preter quas etiam Oratores tui efficaci studio multa allegarunt in hanc ipam sententiam. Persuade Tibi dilecte fili, singula hec a nobis diligenter esse considerata: nec enim ii sumus, qui non perspiciamus, et Tibi et nobis et ceteris confederatis nris hoc onus grave et difficile admodum esse: Sed res ipa eam affert necessitatem, ut supra vires enitamur. Arduum et id nobis est, quod et Tibi. Sed videmus ita esse faciendum, si rebus nris bene consultum esse volumus, imo nisi omnia nra in aperto discrimine relinquere velimus. Classe enim dissoluta, hostes ad occupandam celerius Ferrariam omni conatu suam convertent, hoc obstaculo liberi et Genuenses facilius nullam metuentes resistentiam, cum illis se coniunge possent pro comoda rei frumentarie liberam navigatione, facilesque aditus ad nros invadendos: que omnia illos sequerentur. nobis autem e contra fierent perniciosa. Quare quod iudicio nro tandem id remittis, in quo modestie et amori tuo in nos plurimum tribuimus: Id quidem tale est, ut iudicemus pro duobus mensibus classem ipam oio sustentari oportere, sicuti alias scripsimus, et Nobilitatem tuam ad hoc concurrere debere. Qua in sententia ut permaneamus, comune periculum admonet, et rationes preallegate; adeo ut nisi hoc fieret, preter iacturam quam unusquisque nrm acciperet omnis impensa hactenus facta, irrita esset: que si ad id tempus sustineatur, magnam nobis allatura est comoditatem et hostibus detrimentum. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xi Octobris M cccclxxxiii Pontificatus nri Anno Tertiodecimo.

L. Grifus.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1872106234-16/fragment/page=0001

DFG

1483 11/X

Dilecto filio Nobili Viro Johanni Galeaz marie
Vicecomiti Duci Mediolani:

[illegible] 1483 11 8bre
Roma

Univ. Landesbibliothek Halle/S.

Morbio 23 (62)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1872106234-16/fragment/page=0002